QVÆSTIO MEDICA.

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS VIII. IANVARII,

M. PETRO LE MERCIER, Doctore Medico, moderatore.

834

An Iecur primum viuens?

VITA, quæ ſpiritu & corpore continetur, in caloris cum humore ſocietate poſita eſt; vt enim viuens ſine anima: ita abſque illo naturali igne exiſtere non poteſt. Ea quippe vis eſt caloris, cuius beneficio omne animal cietur & agitatur motu ſuo, ſine qua nutriri non poteſt, neque creſcere, cuius denique benignitate vita vitalis eſt. Vitæ autem eſt gemina ratio: vna quidem ab actione ipſa non diſtincta, cuius altera cauſa eſſe perhibetur: vita namque eſt ἐνέργεια ψυχῆς, vt viuere ſentire eſt, mouere, generare, alere: quæ omnia caloris moderationi accepta ſunt referenda. Ille verò animæ miniſter & famulus æui longioris auctor exiſtit, ſi pabuli fuerit vbertatem nactus, eiuſque oleoſi, & omni ſuperuacanea humiditate vacui: ſecùs alimenti tabeſcit inopiâ, aut diſſipatur citiùs, aut corruptelâ deprauatus extinguitur.

ILLIVS caloris, qui ζωτικὴν ἀρχὴν complectitur, fons in Iecore ſitus eſt, vt etiam ſanguinis, cuius exhauſta ſuauitate frigent animalium corpora. Viſcus autem illud vitæ principatum meritò ſibi vindicat, in quo θησαυρισμὸν τῆς αἱματώσεως natura poſuit: cuius ratione jecur omnium quaſi parens eſt partium: cùm materiem non tantùm educationi neceſſariam ſuppeditet: ſed & eam, quæ conformationi inſeruit, liberaliſſimè profundat. Quare ἐν ἑκταίᾳ γονῇ contemplari licet principis illius partis iacta fundamenta, cæteris nondum adumbratis. Quid enim aliud in ea eminet στρογγύλον καὶ ἐρυθρόν: niſi ἧπαρ ἀδιάρθρωτον καὶ ἀδιάπλαστον?

HÆC prorſus diuina fuit in hominis ſatu Naturæ ſolertia, cuius ὁ δημιουργὸς σοφώτατος καὶ δυνατώτατος pro varijs animæ muneribus inſignem apparatum partium maximo quodam artificio fabricatus eſt. Nam primo conceptionis momento vaſorum, quæ ſuo complexu χορίον efficiunt, ſolius hepatis gratiâ videtur diſtributionem aggredi: quorum radices vtero affixæ in vnum quaſi truncum coeunt, qui totus (vt more dicam anatomico) in iecur inſeritur, illícque varias diſtractus in propagines ſanguinem effundit, quo inter inania vaſorum ſpatia concreſcente exurgit alta iecoris moles, αἵματος πηγή, aliarum venarum ῥίζωμα. Sic in conformando iecore incredibilis fuit pro neceſſitate celeritas, quùm è ſanguine materno per ſuperiorem portam irruente compactum eſt eius viſceris παρέγχυμα, in quo τοῦ θρεπτικοῦ ſedes eſt. Tunc ἧπαρ νεοπαγὲς quicquid ex vtero ſanguinis illabitur proprijs incipit conficere viribus & adornare, quem in cæteras partes ſuauiorem tranſmittat: adeout in his ortus primordijs fœtus, dum vnius hepatis tenetur dominatu nullam cordis & arteriarum opem poſtulans, ſtirpium vitam viuat.

IECVR ſuis iam omnibus completum numeris ex vtraque ſui parte ſingulos deducit ſanguinis riuos, quibus, fluminum inſtar, vniuerſum corpus poſtmodùm alluitur: horum inferior è concauis ortus pluréſque diſtributus in tubos earum partium procreationem ſuſcipit, quæ abdominis ambitu coercitæ iecori famulantur: alter verò, qui dignitatis & amplitudinis causâ ἡπατίτης eſt appellatus, ex eiuſdem viſceris dorſo emergens maximam vim ſanguinis in cordis regionem tranſfundit, ex quo illius natura coagmentata eſt, cuius τὸ πίλημα ſatis ſuperque demonſtrat, id ex ſanguine per venas è iecore traducto duxiſſe originem.

QVEMADMODVM in plantis natura ſagax à radicibus procreationis ducit exordium: ita æquum fuit eandem hominis conformationem ordiri ab hepate, cuius abſque præſidio, vniuerſi corporis fabrica componi non poſſet. Huius conſcia neceſſitatis natura proximè ad vterum iecur collocauit, quò facilior fieret aliis partibus copia ſanguinis, ſine quo vt nutriri, ita conformari non poterant: ab hepate ſiquidem emanat vis illa γενέσεως καὶ αὐξήσεως parens, totiuſque corporis præclara gubernatrix, cuius nutu & imperio fœtus adminiſtratio regitur. Quare in hominis conceptu eo natura ordine procedit, vt, quod eſt maximè neceſſarium, in primis moliatur: ideóque iecur, à quo partium οὐσία repetenda eſt, prius compingit; mox cordis ſtructuram aggreditur, à quo pendet animalis ſalus, vt ſcilicet, quæ in eo viget, animæ ἐμπύρωσις contemperetur: vltimò denique cerebrum perficit, quia in eo vis animæ elucet rationis compos: itaut alio tempore fœtus nutriri & augeri, alio pulſum edere, alio intelligere incipiat.

Ergò Iecur primum viuens.

Proponebat Lutetiæ CLAVDIVS BREGET, Pariſinus, Sch. Arch. A.R.S.H. M. DC. XXXVII.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Nicolaus Cappon.
M. Nicolaus Richard.
M. Petrus le Mercier, Præſes.

M. Claudius Guerin.
M. Petrus Yuelin.
M. Petrus Richer.

M. Claudius Quiquebeuf.
M. Thomas Gamare.
M. Antonius Charpentier.

